

etiam morum facit similitudinem. Denique Jonathas, filius regis, imitabatur sancti David mansuetudinem, propter quod diligebat eum¹⁾. Unde et illud: Cum sancto sanctus eris²⁾, non solum ad conversationem, sed etiam ad benevolentiam derivandum videtur. Nam utique et filii Noë simul habitabant, et non erat in his morum concordia³⁾. Habitabant etiam in domo patria Esaü et Jacôb, sed discrepabant⁴⁾. Non enim erat benevolentia inter eos, quae sibi praeferret alterum: sed magis contentio, quae praeriperet benedictionem⁵⁾. Nam cum alter praedurus, alter mansuetus esset, inter dispares mores et studia compugnantia, benevolentia esse non poterat. Adde quia sanctus Jacob paternae degenerem domus virtuti praeferre non poterat. Nihil autem tam consociabile, quam cum aequitate justitia: quae velut compar et socia benevolentiae, facit, ut eos quos pares nobis credimus, diligamus. Habet autem in se benevolentia etiam fortitudinem. Nam cum amicitia ex benevolentiae fonte procedat, non dubitat pro amico gravia vitae sustinere pericula. Et si mala mihi, inquit, evenerint per illum, sustineo⁶⁾.

LAUS BENEVOLENTIAE.

Benevolentia etiam gladium iracundiae extorquere consuevit. Benevolentia facit, ut amici vulnera utilia magis, quam voluntaria inimici oscula sint⁷⁾. Benevolentia facit, ut unus fiat ex pluribus: quoniam si plures amici sint, unus fiunt, in quibus unus spiritus et una sententia est. Simul advertimus etiam correptiones in amicitia gratas esse, quae aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim censoriis sermonibus, sed benevolentiae delectamur sedulitate. Ad summam, non omnibus eadem semper officia debentur, nec personarum semper, sed plerumque causarum

1) 1 Reg. 19. 2) Ps. 17. 3) Gen. 9. 4) Jd. 25. 5) Jd. 27. 6) Eccl. 22. 7) Prov. 27.